



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IVRIS CANONICI|| SEV PONTIFICII|| PARTITIONES,||

Grégoire, Pierre

[Frankfurt], 1595

VD16 G 2996

18 De ieiunio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63677)

ad ea quæ ante. r At pœnitentiæ antea A n
iniunctæ tolluntur etiam per commuta-
tionem operis satisfactorii in indulgentiis
positi. s.

S C H O L I A.

- a *Vi in capitulo unico, §. de Celebrat. Missarum, in Extrauagant. communib.*
b *Clement. unic. de reliq. & vener. Sanctorum, cap. primo, eodem titulo in Extrauag. communib.*
c *cap. 1. de Pœnitent. & remiss. in Sex.*
d *cap. quod autem, 4. de Pœnit. & remiss.*
e *cap. cum ex eo, 14. de Pœnit. & remiss. capit. fina. eodem tit. in Extrauagant. communib.*
f *cap. 1. de Pœnit. in Extrauag. communib.*
g *Lib. 4. Sententiarum, distinct. 20.*
h *Angelus Clauas. in Summa in verbo indulgentia, numero 2. vide Diuum Thomam, in quartum Sentent. dist. 20. Sic dies vel anni remissionis pœna habent remissionem pœnitentiis impositis a Canone vel sacerdote totidem diurnis, ut in Clem. unica, in fine, de reliq. & vener. Sanctorum.*
i *Can. nemo tollit, de Consecra. distinct. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Diui Ioan. Euang. cap. 1. vers. 36. Daniel. 9. vers. 24. D. Matthai, 1. vers. 21. & c. 9. vers. 2. & D. Marci c. 2. vers. 5. D. Luca, cap. 24. vers. 46. Actorum secundo, vers. 38. & c. 4. vers. 12. ad Colosens. cap. 1. vers. 14. ad Ephesios 1. vers. 7. 1. ad Timoth. c. 1. vers. 15. cum simil. vulga. Peccata nemo potest dimittere propria potestate, nisi solus Deus, D. Luca, cap. 5. vers. 9. & 26. dimitunt & alii sacerdotes potestate per Deum concessa. D. Matthai, cap. 18. vers. 18. & D. Ioan. c. 20. vers. 23.*
k *can. ut euidenter, 1. quest. 1. 1. ad Corinth. 6. vers. 21.*
l *can. gratia, can. placuit, ut quicumque. can. penul. & fin. de Consecratione, distinct. 4.*
m *can. omnes, 17. quest. 4. can. 1. 26. quaestione sexta.*

- n *Vide Gloss. ad cap. 1. de Pœnitent. in extrauag. communib. ad verbum Confiteantur. Vbi & disputatur quæ requirantur in Indulgentiis. Neque etiam esset remissio, si perpenderetur opus & meritum pœnitentis, sed potius redemptio vel pœna commutatio, argum. l. 1. de contrah. emt. P. cum remissio sit eius, quod solui non potest, vel eius quod pro soluto habetur.*
o *Sic tradit dicta Glossa, cap. 1. ad verbum confiteantur, de Pœnit. in Extrauag. communibus.*
p *cap. 2. de Pœnitent. in Extrauag. communib. de Iubileo, in cap. 25. Leuitici. & de liberatione & reductione profugorum, morte summi sacerdotis, Num. cap. 35. & Iosue capit. 20.*
q *cap. quemadmodum, 4. & cap. fin. de Pœnit. & remissionibus, in Extrauag. communib. tanto enim sunt grauiora peccata, quanto diutius detinent animam alligatam, cap. fin. de consuet. cap. cum in Ecclesia corpore, de Simonia.*
r *Argument. cap. ex parte, de consuetud.*
s *Glos. in cap. 1. de pœnitent. & remissionibus, in extrauag. communib. vbi & vota etiam sine alia impositione pœnitentiæ, quam habeant indulgentia, commutari dicunt, excepto voto peregrinationis Hierosolymitana & religionis, qua tangunt detrimentum tertii, contra si non tangant, capit. 4. de pœnit. in extrauag. communibus.*

D E I E I V N I O.
T I T. XVIII.

Tractatur titulo, de obseruatione ieiunierum,
libro 3. Decretal. titulo 46.

C A P V T I.

- 1 *Continuatio.*
2 *Ieiunii acceptio & diuisio prophani.*
3 *Diuisio sacri.*
I *Indulgentiæ proxime explicatæ postulare videntur, ut consequenter agere-*

mus de feriis, in quibus maxime conferantur: verum quia ut plerumque festiuius dies ieiunia præcedunt & vigiliæ, de his prius, ne reperere postea cogamur, agemus.

2 Ieiunium, generaliter est abstinentia a cibo aliquo. *a* Per translationem ieiunium quoque est abstinentia tam ab aliis, quam a cibo. Ieiunium itaque generaliter aliud prophanum, aliud sacrum. Prophanum est, quod non fit causa salutis animæ, aut habita ratione religionis, sed alterius ratione. *b* Et hoc triplex, naturale, morale, salutare. Naturale, dum quis abstinere a cibo, vel quia edere non vult, vel quia non potest, vel non habet quod manducet. *c* Morale, quando ratione virtutis moralis abstinere, & sobrie, & statis temporibus manducat. Salutare, quando corporalis salutis causa, quis sibi temperat a cibo & potu. *d*.

3 Ieiunium sacrum vel religionis, quando ad impetrandam salutem animæ vel religionis causa fit. Et illud vel spiritale, vel corporale. *e* Spiritale est, abstinere ab illicitis & a voluptatibus seculi: quod dicitur magnum & perfectum ieiunium: *f* sine quo nihil prodest corporale, animæ. *g* Sacrum corporale est, abstinere a cibis corporalibus ob reuerentiam diuinam: & ut animus depositis corporis ponderibus, paratior & aptior sit ad contemplanda diuina mysteria. *h* Rursum hoc corporale sacrum ieiunium, duplex, pœnitentiale & non pœnitentiale. Pœnitentiale est, quod in humiliationem animæ pertinet & ad placandam Dei iram. *i* Non pœnitentiale seu Ecclesiasticum, est abstinentia a cibis, certis ab Ecclesia certis & statis diebus indicta, cum vnica tantum cibi in die sumptione, eaque moderata. *k*.

SCHOLIA.

a Vide que nos diximus, de diuisionibus lib. Syntag. 2. cap. 18. Tractat. & de ieiunio, Ambrosius de virginitate ad cap. Dominicus, de parochis. In ieiunio abstinentia est, can. non oportet, de Consecr. dist. 3.

A b Quemadmodum cum Tarentini a Romanis obsiderentur, periculumque esset, ne fame ad deditonem compellerentur, Regini decimo quoque die ieiunium decreuerunt sibi, & victum concesserunt Tarentinis.

Quare & cum discedentibus Romanis liberati essent, memores calamitatis, Tarentini Ieiunium constituerunt. *Ælianus lib. 5. de Varia historia, cap. penul.*

c In ea significatione hominum ieiuniorum, sepe mentio fit, ut cum dicimus confirmationem a ieiunis dari debere, can. honesti, 22. questio. 2. can. liquido, de Consecrat. dist. 2. can. ut ieiuni; can. ut Episcopi, de consecrat. dist. 5. cum similibus. Idem in Ordinationibus, can. quod a patribus; & seq. 75. distinct. in sumptione sacra Eucharistie, dist. can. liquido, & sic vinum mane bibitum dicitur soluere ieiunium, cap. ex parte, de celebrat. Missarum.

C d Vt in can. legimus quosdam, de consecrat. distinct. 5. can. quinque modis, can. ne tute, eadem distinct.

e Can. Ieiunium, de consecrat. distinct. 5.

f Diuus Augustinus super Ioannem, Tract. 17. cano. ieiunium autem magnum, de consecrat. distinct. 5.

g can. nihil enim prodest, de consecrat. dist. 5.

Quemadmodum nihil prodest demonibus, quod ieiunent nec manducent, aut non bibant, quia incorporales, nec prodest ieiunium Iudæis, aut Ethnicis, ut ait Gregorius Nazianz. Oratione de pauper. aman. & ita improbat ieiunium cum peccatis factum Esaias, cap. 18. Ita esca aut potus non commendat nos Deo. 1. ad Corinthios, c. 8. Et vsus rerum per se adiaphorus & indifferens est, Luca 19. & 1. Corinth. cap. 10. ad Coloss. 2. Est tamen abstinentia bona ad bonum finem, 1. ad Corinth. 9. vers. 19. & cap. 10. vers. 23. ut contra reprobanda abstinentia, qua sit a cibis tanquam a malis per abominatorem, can. Apostol. 50. & 52. ut abstinabant Priscillianista a carnibus tanquam immundis & abominandis, ob quorum hæresin statutum in Ecclesia, ut nullus ab

is omnino abstineret, quin saltem etiam **A** abstiniens ab illis ob bonum finem, saltem degustaret olera cum illis cocta, alioquin excommunicatus ab officio, ministerio & ordine Ecclesiastico deponeretur. In Concilio Bachavensi 1. sub Honorio Papa, & Atramite Rege Hispania, can. 32. & ante in Concilio Ancyrano, sub Marcellino Papa ante Concilium Nicenum, paulo ante habitum circa annum Domini, 308. can. 14. Neque cibus, sed malus appetitus **B** in culpa est, can. 1. 2. 3. 4. 1. distinct. Et rerum quoque abusus peccatum facit. Est autem abusus, quando quis rebus aliter vitur quam permissum sit, veluti quando prohibita quis edit, vel permissa in tempore prohibito. Sec prohibita erant quaedam in lege antiqua, ne ederentur, quia edentibus videbantur obnoxia, Leuitici 11. & cap. 17. vers. 10. Deuteron. cap. 14. & alius rationibus, Exodi 21. vers. 26. & c. **C** 22. c. 31. sanguinem & adipem prohibitum comedere, Leuit. 3. vers. 17. & cap. 7. vers. 23. Deuter. 12. vers. 23. Et prohibitum primis parentibus, ne ederent de fructu qui per se bonus erat, sed prohibitio faciebat noxium, cap. 2. & 3. Genes.

h Cyrillus Hierosolym. Catechesi 4. Illuminator. videndus Porphyrius, libro de abstinentia animalium.

i Quale sepe meminit sacra pagina indictum fuisse, ut filiis Israel, 1. Reg. 7. Dauidi, 2. Reg. 12. Ninivitis Iona 3. can. v. nus quisque, can. incommutabilia, ca. non semper, 22. quest. 4. & quale indicitur ab audientibus confessiones, can. presbyter, 72. distinct.

k can. de esu, can. non dico hebdomadas, & can. sunt tibi quotidiana, & can. sint tibi ieiunia, de Consecrat. dist. 5. Quemadmodum in Ieiunio spiritali abstinentum est **E** a peccatis; sic & in corporali sacro, abstinentum a carnibus & aliis que prohibentur: excepta causa necessitatis, & agritudinis, can. 2. de observation. ieiunior, c. quod non est licitum, 4. & verborum li-

gnificatione apud Gregor. Ieiunium ita sacrum habet abstinentiam a certis cibis, & ultra habet moderatam tantum summationem ciborum permissorum, quod in sola abstinentia non est, siquidem abstinentia prohibet quidem a certis cibis abstineri, sed non habet permissorum restrictionem. Quare quidam dies habent abstinentiam a carnibus tantum, permissis aliis, ut piscibus, ouis, lacticiis in escam. Quidam habent prohibitionem a carnibus, & ab his, que seminum trahunt originem carnis, videlicet a lacte, caseo, & ouis, can. denique, 4. distin. Sunt & alia ieiunia strictiora, in quibus panis & aqua tantum usus conceditur, ut in poenis videbimus delictorum.

CAPVT II.

- 1 Ieiuniorum institutio a quibus.
- 2 Ieiunia instituire priuatis prohibitum.

Ieiunium seu abstinentia a certo cibo, a Deo in Paradiso terrestri habuit originem, a iussit & Noachum Deus postea in mundi renouatione a certis cibis abstineri. **b** Et cum legem Mosi daret, **c** mandatum saepe ieiunium populo a Prophetis, **d** susceptum & a priuatis sponte ad impetrandam gratiam a Deo, **e** approbatum a Christo. **f** Institutum postea cum distinctione certorum dierum & qualitatum a sacris patribus & sacerdotibus, **g** & ex certis causis. **h**.

SCHOLIA.

- a** Can. 6. die 35. distinct. cap. 2. Genes.
- b** De abstinentia Noë. Vide historiam Genes. cap. 9.
- c** Leuitici, cap. 11. & Deuteron. 14. capit.
- d** A Iona, Iona cap. 3. a Iosaphat, 2. Paralip. 30. vers. 3. ab Esdra, 1. Esdra, cap. 8. vers. 21. ab Esther, & Mardochoo, Esther, cap. 4. vers. 16.
- e** Ita ieiunauit Moses, 40. diebus, Exod. 34. vers. 28. & Deuter. 9. vers. 9. Dauid. 2. Reg. c. 12. vers. 16. Anna prophetissa, Lucae 2. vers. 37. Iudith, Iudith. c. 8. & c.

f *D. Matthai, cap. 6. vers. 16. & 17. D. A*
Marci 2. vers. 20. probatum & ab Apo-
stolis, 2. ad Corinth. 6. vers. 5. Actorum
13. vers. 2.

g *Toto titulo de observatio, ieiunior. can. ie-*
iunia in Ecclesia, de Consecrat. distinct. 5.

h *Et cautum in Concilio habito apud Er-*
phesfurt, presente Henrico rege, in cap. 5.
ut nemo nisi consentiente proprio Episco-
po, aut eius Misso, ieiunium sub obiectu
religionis sibi imponat unum diem pra-
ter excipiendo, quia plus ariolandi causa
dicebat dignosci, quam in supplementum
Catholica legis, quod & refert Burchardus
Episcopus Vnormaciensis, lib. 13. De-
cretorum, can. 27.

C A P V T I I I .

1 *Tempora ieiunii ex concilio & praecepto.*

2 *Abstinentia.*

3 *Ex praecepto Quadragesima*

4 *Et Vigilia.*

5 *Quando ieiunandum non est.*

6 *Ieiunia quatuor Temporum.*

I Ieiunandum est secundum formam con-
 stitutam ab Ecclesia, diebus & modis ab
 ea definitis. Tempora ieiunandi consti-
 tuta sunt duplicia, ex consilio, vel ex prae-
 cepto. Ex consilio sunt, quae omnes non
 obligant ad ieiunium: veluti Aduentus
 Domini, a Dies Rogationum seu Litania-
 rum, quae fiunt triduo ante Ascensionem
 Dominicam, in quibus abstinentia quidem
 a carnibus est de praecepto, sed ieiunium
 est de consilio. b Sunt & quartarum feria-
 rum ieiunia de consilio, si incidant extra
 tempora ieiunandi praecepta, id est, nisi
 praecipiantur. Inter dies etiam quae habent
 abstinentiam a carnibus praeceptum, & sunt
 de consilio ieiunii, sunt sexta Feria, & Sab-
 batum. c.

2 Ieiunia de praecepto sunt, Quadragesi-
 ma: Vigiliae festivitatum: Ieiunia quatuor
 temporum. Quadragesimae dies sunt ve-
 luti decimae dierum totius anni. d Et de
 praecepto seruari debent eorum ieiunia

ab omnibus, excepta causa necessitatis.
 e Quadragesima, sex septimanas habet,
 quibus addidit Thelesphorus Pontifex se-
 ptimam: vocatumque id tempus, Quin-
 quagesima. f Et ita ante festum Paschae,
 sunt ieiuniorum septem hebdomadae, per
 quas clerici omnes ieiunare debent, &
 hymnis, vigiliis & orationibus vacare die
 nocteque. g Explicat id ipsum Gregorius
 de sacerdotibus, diaconis & reliquis, quos
 dignitas Ecclesiastici gradus exornat, ut ii
 a Quinquagesima propositum ieiunandi
 suscipiant: breuius autem tempus laicis
 statuitur, h exceptis diebus Dominicis,
 quibus abstinetur a carnibus, ouis, caseo,
 & lacte, ut in diebus ieiunii Quadragesi-
 mae, verum in illis non ieiunatur. i.

Vigiliae Sanctorum, quibus ieiunan-
 dum est, & iure traduntur, k & Ecclesia-
 rum consuetudo eas docet. l Vespera diei
 festi, vigilia dicitur; quia olim Christiani
 ob maiorem diei festi solemnitate, in o-
 rationibus pernoctabant, ut etiam nunc
 fit in vigilia Natiuitatis Dominicae. m.

Ieiunandum non est die Dominica. n 4
 Et proinde vigilia festi occurrens in Do-
 minica, debet ieiunari Sabbato praee-
 dente. o Placuit & olim non esse ieiunan-
 dum feria quinta hebdomadae, p neque a
 die Paschae, vsque ad diem Pentecostes ex
 praeecepto. q Si qui tamen velit sponte ie-
 iunare, nihil prohibet: r excipiuntur ta-
 men Rogationum dies, s & vigilia Pente-
 costes, t quibus indicta sunt ieiunia.

Sunt etiam ieiunia quatuor Tempo-
 rum de praecepto ab omnibus seruanda, u
 tempora autem haec mutata. Primum
 quippe horum hebdomada prima erat in
 Martio: Secundum in hebdomada secun-
 da in Iunio: Tertium in hebdomada tertia
 in Septembri: Quartum in hebdomada
 quarta in Decembri, in Concilio Mogun-
 tinensi. x Illud autem postea Concilium
 mutatum in Concilio Salegastae habito.
 y Rursum & aliter statutum ab Urbano,
 z cuius verba: Statuimus ut ieiunia quatuor
 Temporum

Temporum hoc ordine celebrentur: Primum A in initio Quadragesime: Secundum in hebdomada Pentecostes: Tertium vero, in Septembri: Quartum in Decembri a more solito fiat. Inuenitur ultra mentio trium Quadragesimarum vnus anni. bb.

S C H O L I A.

- a Cap. de obseruatione ieiuniorum, lib. 3. tit. 46.
- b cap. Rogationes, de Consecrat. distinct. 3.
- c Can. ieiunia, can. legitima, iuncta. glos. 1. de Consecrat. distinct. 3.
- d Can. Sabbatho vero, de Consecrat. dist. 3. can. quia dies Sabbathi, de Consecrat. distinct. 3. ubi gloss. verbum admonemus, ait ibi, esse consilio de Sabbatho nisi ubi est consuetudo ut abstineant. Quia tunc est preceptum abstinere in Sabbatho ab esu carnis, cap. consilium 2. de obseruatione ieiuniorum. Verius tamen videri potest, quod pradii gloss. in can. de esu, de consecratio. distinct. 3. quod aliquando fuit de consilio, carnes Sabbatho non comedere, quo tempore poterant comedi, postea autem obtinuisse, non comedi, & abstinendum esse per dictum can. quia dies, de Consecrat. distinct. 3. can. Sabbatho, de Consecrat. dist. 3. Sic tamen ut consuetudines locorum iam recepta non immutentur, cano. utinam, can. illa autem, 12. distinct. ex Diuino Augustini Epist. 118. ad Ianuarium, ubi refertur apud Mediolanum Sabbatho non fuisse ieiunatum, & consuetudinem illam esse in illo loco seruandam, quamquam illa decisio non loquatur de abstinentia carnis, sed de ieiunio, quod apud Romanos seruabatur dicto can. Sabbatho vero, de Consecrat. dist. 3. Sic quoque non male ut opinor, possemus intelligere. can. 65. Apostolorum, ubi, Si quis Dominicum diem vel Sabbathum, vno solo demto ieiunare deprehendatur, deponitor, si laicus, a communione deiicitur. Tunc enim expediebat fieri hanc legem, ne quis Iudaos videretur imitari, re-
- ceptum & in Ecclesia est Catholica, ut, si festum Natiuitatis Domini incidat in sextam Feriam vel Sabbathum, licitum sit carnes comedere, exceptis professis vel vouentibus, cap. fin. de obseruatione ieiuniorum.
- e Can. Quadragesima, de Consecrat. distinct. 3. de sacra Quadragesima, vide can. Apostolorum, 68. leg. Photium, 7. nono can. 1. & 6. 49. Synodi Laodicensis, & can. 29. 52. 56. 90. Synodi in Trullo.
- f Can. non liceat, cum duob. sequentibus, de Consecrat. distinct. 3. Integra Quadragesima ieiunanda, nec frangenda in quinta feria vltima hebdomada, ut quidam faciunt, quorum consuetudo reprobatur. In can. Sacerdotibus, can. non liceat, can. non oportet, de Consecrat. distinct. 3. ex Concilio Aureliacensi, can. 26. ex Concilio Martiniano, cap. 50. ex Concilio Laodicensi, cap. 50.
- g Can. Quadragesima, 4. distinct.
- h can. statumimus, 4. distinct. iamen, vide can. in istis, eadem dist. qui videtur probare non fuisse approbatum statutum Thelesphori.
- i Canone denique, 4. distinct.
- k Dicto can. denique, in 4. distinct.
- l In cap. 1. de obseruatione ieiuniorum. Atque in Concilio Aureliacensi, sic statutum est, Presbyteri cum sacras festiuitates populo annunciant, etiam vigiliarum ieiunium eos omnino seruare moneant, refert Burchardus libro 3. Decretorum, cap. 16.
- m Can. utinam, can. illa autem, 12. distinct.
- n can. nescio credo, 76. distinct. ex Diuino Ambrosio, Serm. de Pentecoste. Docet de vigiliis obseruatis in templis Martyrum. Basilus Magnus, in Psa. 114. & Epistol. 63. Memnit & Plinius iunior de vigiliis & ante lucanis orationibus, lib. 10. Epistol. 2. ad Traianum obseruasse & vigiliis in ostio Tabernaculi Iudaos, potest docere, cap. 3. lib. 1. Regum.
- o Nempe in contemptum diei Dominice ieiunandum non est, can. ieiunium, 14. can. ne quis, 5. de Consecrat. dist. 3. can. si quis,

15. can. si quis tanquam, & can. fin. 30. di-
 stinct. can. Sacerdos, vers. die autem Apo-
 stolorum, 26. quaest. 7. In Synodo Gangren-
 si, c. 18. & in can. 15. Petri Alexandrini.
 Aliter ex deuotione licet, nisi quis putaret,
 vel crederet, quod utilitas ieiunii non pos-
 set compensari per deuotionem festi, vel nisi
 ex aliqua superstitione ieiunaret. Id ipsum
 de ieiuniis in aliis solemnitatibus magnis
 festorum erit dicendum, can. utinam, 76.
 distinct. vide Thomam in 4. Sententia-
 rum, dist. 15.

P Cap. primo de obseruatione ieiunior.

Q Can. ieiunium 14. de Consec. distin. 3. ubi
 glos. causas diuersas prohibitionis adfert,
 quas tamē textus aliter expressit. Sic enim
 ait: Ieiunium Dominici diei & quinta fe-
 ria nemo celebrare debet, ut inter ieiuniū
 Christianorum, & Infidelium, & Hereti-
 corum, vera, & non falsa discretio habeat-
 ur. Nam Gentiles ieiunabant die Iouis,
 in honorem Iouis, ut indicant verba Ho-
 ratii, lib. 2. Satyrum, Sat. 3.

Iupiter ingentes qui das adimifq; dolores,
 Mater ait pueri menses iam quinq; cubāti
 Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
 Mane die, quo tu iudicis ieiunia nudus,

In Tyberi stabit.

Refert autem gloss. ad dēt. canonem ieiun-
 nium, quod die Iouis Christus cælum ascē-
 derit, addit tamen sine contemptu die pro-
 hibitum non esse etiam semper ieiunare
 sponte ex deuotione, ut in canon. utinam
 76. distinct.

r Can. ieiunium §. fin. cum can. seq. 76. dist.

s can. scire debet, cum 3. sequentibus, 76. dist.

t can. Rogationes, de Consecrat. distinct. 3.

v can. de Ieiunio, 76. distinct.

x Dicto can. ieiunium, 76. distinct.

y can. constituimus ead. 76. distinct.

z dicto can. de ieiunio, 76. dist. can. statui-
 mus, 76. dist.

aa Secundum distinctionem, can. de ieiunio,
 in fine, 76. distinct. Obseruantia vero qua-
 tuor Temporum ieiuniorum, utilitas & o-
 rigo, tractatur in can. huius obseruantia,

cum 2. sequentibus, 76. distinct. Continet &
 Ecclesiastica regula, ut ieiunia quatuor
 Temporum fiant per quartam, sextam, &
 septimam ferias singulis temporibus, & in-
 cipiat a die Mercurii proximo post festū
 Petrecostes, post festum sancta Crucis, post
 festum sancti Luca, post diem Cinerum
 unde memoria causa hic versus,

Post Pen. Cru. Lu. Ci. debent ieiunia dici.

bb In can. 1. 2. 3. sub 22. quaest. 5. & gloss. ira-
 dit unam esse ante tempus Natalis Domi-
 ni, aliam ante festum sancti Joannis, idem
 & Antonius Corsetus in singularibus, sin-
 gulari quadragesima.

C A P V T I I I I.

1 Modus ieiunandi.

Modus ieiunandi regularis cōstitutus
 est ab Ecclesia, ne quilibet suo arbi-
 trio viuens, aliis scandalo esset, apud semet-
 ipsum sapiens. a Nempe ut ieiunātes non
 manducent ante horam meridianam, b a
 carnibus abstineant, & ab aliis iuxta tem-
 pora prohibitis: & concessis vtantur me-
 diocriter, seu pareius. c Et cibis aridiori-
 bus, d tempore Quadragesimæ in templū
 eant. e Mundi a peccato sint, f & sobrii.
 Nam & melius ieiunant, qui sapius pa-
 rum, quam qui se ingurgitando, lautius &
 carius comedunt. g.

S C H O L I A.

a Refert Eusebius in Historia Ecclesiastica,
 quendam Alcibiadem ex numero vinclo-
 rum pro Christo, satis asperam vitam gef-
 sisse, nihil sibi voluisse accipere, excepto pa-
 ne cum sale & aqua, quem vitæ rigorem,
 cum vellet in carcere positus reiungere: At-
 tulo cuidam seruo Dei reuelatū est, quod
 non recte faceret Alcibiades, creatoris Dei
 iniuriam irrogans, & quod formam scan-
 dali ceteris dereliqueret, quibus cognitis,
 cepit omnia cum gratiarum actione acci-
 pere, quod & narrat Burchardus, lib. 13.
 Decretorum, cap. 26. Sunt & technæ da-
 monum astutissima, ad circumueniendū
 pios, quos cum vident operibus bonis dele-
 tari.

Etari, utque eos inuitiles reddant, & ad a-
ctiones cultus diuini inhabiles, specie reli-
gionis & boni, ad id, quod nimium est in
ieiuniis prouocant, quibus & corpus &
mens a soliditate necessaria deiciuntur.
Dispensare & nunc censetur Ecclesia, ut
post Meridianam sumtionem cibi, aliqui
possint modicum sub noctem accipere.

b can. solent, de consecrat. distinct. 1. Quare
& qui ieiunant ante horam nonam, id est,
duodecimam, & in quadragesima, nisi Ve-
spers cantatis, non debent manducare, ut
in dicto can. solent, cum duob. seq.

c can. denique, 4. dist. can. ab exordio, 5. di-
stinct. Illa autem abstinentia non ad exse-
crationem creaturarum fit, sed ad cultum
pietatis, can. sin. S. sin. 30. distinct. can. A-
stolorum, 50. & 52.

d can. non oportet de consecratione, dist. 3.

e can. ne quis, de consecrat. distinct. 3.

f can. non dico, cum 2. seq. de consecrat. di-
stinct. 5. Nihil enim, inquit, Burchardus,
lib. 13. Decretorum, cap. 23. & 24. ex Pi-
menii Eremita dictis, Prodest, biduo tri-
duo transmissio, vacuum portare
ventrem, si compensantur saturitate iei-
unia & obruatur mens.

CAPVT V.

1 Qui ieiunare teneantur.

2 Prohibita in necessitate prohibenda.

1 O M nibus autem in summa, maxime D
personis Ecclesiasticis, ieiunia seruā-
da sunt, ab Ecclesia imperata: & qui con-
temnit anathema fit ex Concilio Gangre-
si, & Apostolorum canone, a exceptis qui-
busdam personis, quibus remittitur iure
ieiunandi necessitas, cuius generis sunt de-
biles, & infirmi: quibus & perentibus et-
iam temporibus vetitis, indulgetur car-
nium usus. b Cum non subiaceat legi ne-
cessitas, c Sed magis sit ferenda, ut maius E
evitetur periculum, d Ea ratione excusan-
tur, necessitatis, qui inedia & fame labo-
rant, e qui continuo labore & opere cor-
porali fatigantur, & exhauriuntur, qui sine
cibo diu laborare nequeunt: ut nec pueri

tenentur, qui non possunt cibi defectum
ferre, quibus calor naturalis fomentum
cibi veluti momentaneum assidue adhiberi
postulat. Non etiam obnoxii ieiuniis
peregrinantes, non senes, qui quidem exi-
guo, sed frequente egent alimento, quia
ob defectum alimenti naturalis, plura si-
mul ingesta stomacho non possunt con-
coquere. f.

Item pręgnantes, nutrices, quarum ie-
iunium noceret pueris, & essent ob penu-
riam alimenti illis non sufficientis, veluti
homicidæ illorum, g verumtamē in omni-
bus non erit alienum obseruare, quamuis
generaliter eximantur a necessitate, nam
robur personę excusata, ut pueri, senis, &
similium sine magno periculo possit iei-
unium pati. h.

S C H O L I A.

a In Concilio Gangrensi, cap. 18. relato in
can. si quis eorum, 30. distinct.

b In can. Apostolorum, 68. dist.

c Propter imbecillitatem corporis dispensant
de ieiunio, in can. 68. Apost. can. si quis per
superbiā, 30. dist. can. ieiunia sana, 16. &
seq. 17. de penitentibus, de consecrat. dist. 3.
cap. 2. de Observatio ieiunio. ubi notanda
illa verba, Periuertit sibi esum carniū
indulgeri. Nam peti debet licentia, & in-
dulgentiā, arguit permissionem, ex huma-
nitate, nō ex debito. Conciliū proprii con-
fessoris pro necessitate hac sufficiens dixit
Angelus, in summa in verbo Ieiuniū. Nu.
20. in causa debilitatis & defectus natura,
cū cōsilio medici. Solet Tholozie haberi te-
stimonium medici, quod ager indigeat esu
carnium: & postea ad illam attestationem
ab Archiepiscopo, vel ab eius Vicario, im-
petratur licentia & permissio utendi rebus
prohibitis tempore ieiuniorū. Notandum
autē medicū peccare, si cuius cōsulat, ut
sine rationabili causa frāgat ieiuniū, can.
quid culpatur, 23. q. 1. can. cōtraria, de cō-
secrat. dist. 5. Solet & alicubi in Hispania
haberi palam diplomata Summi Pont. seu
dispensationes edendi prohibita, & aliorum

prohibitorum, que certa persona certo pre- A
tio, quod in elemosinas dicunt distribu-
endum, concedunt. Quas tamen num tollen-
da sint propter abusum, & quod indistin-
cte omnibus dentur, qui presunt Ecclesia,
considerabunt: meum enim non est os in
cælum tollere, cum & puerum in casu neces-
sitate urgentissima, dum non adest confes-
sor vel praelatus, matrem Ecclesiam per-
mittere usum rerum, valentibus prohibi-
tarum. Et Diuus Paulus ad Roma. 14. B
vers. 1. ait, tolerandos esse in cibo infirmos,
verum & puto deinceps admonendum con-
fessorem, ut tutius agatur.

e ca. sicut, de consecra. dist. 1. c. quod non est
licitum, de regul. iur. apud Grego. ca. ieiun-
nia sane, de consecra. dist. 5. facti l. aliquã-
do, de offi. Proconsul. & lega.

d dicto. c. 2. de obseruatio. ieiunio. Exem-
plum simile in libello repudii, ca. si quod
uerius 33. q. 2. aliud exemplum in ca. de
nigue, 4. dist. aliud, in ca. comestiones 44.
dist. C

e dict. cap. 2. de obserua. ieiuniorum.

f vide que tractat Diuus Thomas in 4. sen-
tent. dist. 15. ubi & ait quod subtractio ci-
bi per ieiunium, si impediret ea que neces-
sario sunt agenda, cum quibus conuiuui in
societate, vel ad que ex officio tenetur, non
esse licita, sed diceretur rapina.

g iuxta legem necare, de liber. agnos. P.

h D. Thomas in 4. sententiar. dist. 15.

CAPVT VI.

Effectus ieiunii.

Ieiunium Ecclesiasticum, curat vulnera
delinquentium, & curatos sanctificat: a
si modo mens ab iniquitate, & lingua ab
obtreccionibus abstineant: b satisfacit
item pro commissis: c auxiliatur defunctis
a viuentibus eo nomine factum, d imo &
factum ab eo, qui est in peccato mortali,
adhuc aliquid prodest. e.

SCHOLIA.

a ca. sint tibi, de consecra. dist. 5.

b ca. nihil enim, eo. de consecra. dist. 5.

ca. igitur 76. dist. 1.

d ca. anima 13. q. 2. & legitur 1. Regum c.
31. quod viri labes auferentes corpora Sau-
lis & filiorum eius occisorum in bello, sepe-
lierant in nemore, & ieiunauerunt septem
diebus.

e Prodest namque primum quantum ad
obedientiam, si ei preceptum sit ieiunium
ab Ecclesia, vel ex voto faciat. Secundo
valet ad macerationem. Tertio valet, ad
ea omnia ad qua valent bona opera facta
extra caritatem, Angelus Clauasius in
Summa in verbo ieiunium, num. 24. &
in verbo satisfactio num. 6. Celebrat Ec-
clesia ieiuniorum tempore paucis verbis
effectus ieiunii, dum inter Missarum so-
lemnia Deo dicit, qui corporali ieiunio
vitia comprimis, mentem eleuas, virtu-
tes largiris & præmia, &c. Sunt & gene-
ra demeriorum, que non ei ieiunium ab
obsessis corporibus, nisi cum ieiunio & ora-
tione. Diui Matthæi. c. 17. vers. 21. ieiun-
nantibus Apostolis & ministrati bus Deo,
dixit spiritus sanctus, segregate michi Sau-
lum & Barnabam, &c. Acton 13. vers.
2. & rursum cum constitissent per singu-
las Ecclesias presbyteros orantes cum ieiun-
nationibus, commendauerunt eos Domino,
Actonum, 14. vers. 22.

DE FERIIS, ET DIE- BUS FESTIUIS. TIT. XIX.

a De his tractatur lib. 2. Decret. tit. 9. tota 15.
quæst. 4. & de consecratione dist. 3. ca. 1. lib.
2. P. tit. 12. lib. 3. C. tit. 12 In Nouella Leonis 54.
ut Dominicis diebus omnes ab operibus vacent.

CAPVT I.

1 Continuatio & quid Ferie.

2 Distinctio profana. 3 Ecclesiastica.

E Post ea, quæ antecedunt vt plerumque
festa, dicamus de ipsis Feriis & festis,
iuxta pollicita. Ferie antiquis dictæ, quod
in diebus illarum feriretur seu mactaretur
hostia, & ratione cultus diuini, cessaretur
ab alio opere, vel a ferendis epulis. a.

Postea